

*SINGULARIA QUÆDAM,*

potissimum

*ANECDOTA;*

ad Historiam

ERICI XIV. SVECO-  
RUM REGIS

spectantia,

PRÆSIDE

DN. IMMANUELE WEBERO,

PHIL. & JUR. DOCT. ATQUE PROF. PUBL.

SAC. CÆS. PALATII COMITE, SERENISS.

PRINCIPIS SCHWARZBURGO-SONDERS-

HUSANI CONSILIARIO,

IN ILLUSTRIS LUDOVICIANA

D. XXXI. DECEMBR. A. MDCCXI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SISTET

ERNESTUS HEINRICUS de NIMPTSCH,

EQUES SILESIUS.

---

GIESSÆ-HASSORUM,

TYPIS HENNINGI MULLERI.

Hist. Suec.

240,16

*Hist. Suec. 166  
75.*

Handwritten text at the top of the page, likely a title or header, which is mostly illegible due to fading.

ERICI XIV. SVEVICI

ROMANORUM

IN ASSIDE

ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

IN HELLESTRI LUDOVICIANA

*PER-ILLUSTRI* atque  
*GENEROSISSIMO*  
VIRO,  
DOMINO  
ERNESTO  
GOTTLIEBIO,  
BARONI de NIMPTSCH;  
DYNASTÆ in Hütten, Neubrunn/  
Haubinda/ Harres/ Gohmansroda/ SACRI JO-  
HANNITICI ORDINIS EQUI, SERENISSI-  
MO DUCI SAXO-MEINUNGENSI à CONSILIIS  
INTIMIS, & DUCALIUM VENATIO-  
NUM PRÆFECTO PRIMA-  
RIO &c.

*DOMINO AC PATRI MEO AD  
CINERES usq; PIE DEVENERANDO.*

PER-ILLVSTRIS

atque

VIR GENEROSISSIME,  
Domine Parens piè devenerande!

**Q**uoties ad animum revoco magna & innumera,  
quibus à teneris me affecisti, beneficia; toties iis-  
dem me non solum ornari, sed ferè onerari agnosco,  
siquidem grave dudum est pudori meo, illis nullo obser-  
vantia, pietatisque documento hucusque vel ex parte me  
potuisse respondere. Priusquam paterno limine pedem  
efferrem, tam inusitatam in educando me diligentiam ac  
solicitudinem adhibueras, ut rara felicitate exemplum in  
**TE** verum optimi PARENTIS intuerer, quem nun-  
quam satis colere ac revereri liceret. Deinceps in amplius  
vitæ humanæ theatrum ad illustre, quod Giessa floret, lite-  
rarum domicilium emissus, susceptas mei causâ curas  
nequaquam imminui, sed potius in dies augeri & ampli-  
ficari sensi. Etenim indefessam operam dedisti, ut inter  
tot malorum irritamenta, quibus juventus abripi solet,  
prudentissimis tamen consiliis **TUIS** intra virtutis can-  
cellos continerer, atque illis artibus & disciplinis instrue-  
rer, quibus exculti & perpoliti ad Reipublicæ familieque  
decora & commoda promovenda redduntur idonei.  
Etsi proinde aeterno venerationis & amoris vinculo **TI-**  
**BI** sum devinctissimus; maximum tamen & religio-  
sum,

sum, qui filium decet, cultum perinde, ac par est, declarare, omnino non valeo. Quamobrem omni, quâ possum, reverentiâ oro & obsecro, ut in memori tantorum meritorum animo, in sincero illo ac serio studio iussis TVIS paratissime obsequendi benignissimè acquiescere non recuses. Quam quidem obedientiam TIBI non solum nunc sanctè polliceor, sed etiam ejus quasi tesseram quandam & certissimum pignus, presentem de ERICO XIV. Suecorum Rege, Exercitationem Strenæ locò offero, atque hanc summa mentis devotione consecrans plane confido, eam TE paterno affectu ac favore admissurum, eodemque, quicquid in tenerrimo erga TE sensu demonstrando conatibus meis deest, suppleturum esse. Ceterum summa votorum est, ut DEVS in instante novò anno TE, cum Suavisima Matre, largis gratiæ suæ muneribus abundare jubeat, TE bono publico, Familiæ nostræ, ac speciatim mihi diutissimè conservet; quo ductu TVO adhuc valdè mihi necessario ad exoptatam metam feliciter contendere, & quantum à prima ætate incommodi & curarum attuli, tantum in posterum gaudii honestissimæque voluptatis afferre possim.

TIBI,  
DEVENERANDE DOMINE PARENS,

ad mortem usque obedientissimus filius

ERNESTUS HEINRICUS de NIMPTSCH.

) ( 3

PRÆ-

15 ) 0 ( 50

## PRÆFAMEN.

**C**ircumspicienti mihi Thema aliquot publicæ ventilationi subjiciendum, varia quidem, nec ea ubivis obvia occurrunt; sed placuit præ cæteris hoc præsens, ad quod ansam dedere Prælectiones Magnifici Domini Præsidis, Licet enim David Chytræus, Jo. Loccenius, Jo. Elaus Terferus, & qui primò locò nominandus erat, Illustris Dn. Pufendorfius, præcipua capita Historiæ Regis Erici proposuerint, attulit tamen laudatus Dn. Præses nonnulla admodum curiosa huc facientia, à nemine adhuc prolata, quæ ad pleniorum hujus Historiæ cognitionem inservire poterant. Ea igitur dum Lectori non possunt non esse grata, opellæ hujus meæ precium me fecisse arbitror, ubi favorem aliquem tenui eo specimine apud doctos cordatosque viros adsecutus fuero, quibus me meaque studia officiosissimè commendo.

CON-



# CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

§. I. **S**tatus Regni Suecici, tempore Gustavi Regis, felicissimus. Regnum fecit hereditarium.

§. II. Infelicem Gustavus reliquit successorem Ericum XIV. Hujus nativitas, & inauspicata omina, que nativitatem precesserunt. Par fuit in his Christierno II. aque infelici.

§. III. Dotes, quas natura in Ericum contulit. Ejus educatio; studia. Astrologia judiciaria plus justo tribuit. Morum improbitas in eò mature eluxit; Patri refractarius, qui exheredem voluit scribere.

§. IV. Amores & Conjugia Erici. Ambuit Elisabetham Anglicanam, Reginam Scotiae Mariam, Renatam Lotharingiae Ducem, & eodem tempore Christinam, Hassiae Landgraviam. Elisabetha persuadere voluit, non serio se cum Hassiaca Principe agere. Li-

tera intercepta Cassellam mittuntur, dum Legati Suecici ibidem procantur. Tandem, ex quo ubique repulsam tulerat, cum Concubina nuptias celebravit, eamque Reginam declaravit.

§. V. Regimen Erici, quoad Interna & externa consideratum. Ad illa pertinent Regni delatio, Coronatioque subsequuta. Primus ex Christianis Sueciae Regibus Comitibus, Barones atque Equites creavit. Pertinent huc quoque Comitatus & Conventus, in quibus talem se gessit, ut & Fratrum & Regni Ordinum odia in se derivaverit.

§. VI. Omnium malorum causa fuerunt mali Consultores, in quibus pessimus Petrus Salamontanus. Hujus consilii Frater Johannes, Finlandiae Dux, in carcerem detrusus, & ad mortem damnatus fuit, quamvis Rex sententiam mitigavit.

§. VII. Hu-

§VII. Hujus porro consiliis, & Olai Arvidi, in Comitibus Upsaliensibus plures ex Regni Proceribus crudelissimè trucidati. Judicia etiam sanguinaria instituta fuerunt, à quibus Optimi Civium nullà juris habita ratione ad ultima supplicia rapti. Comparatio horum cum Sanguinario judicio, quod Dux Albanus in Belgio A. MDLXVII. ordinavit. Posthac Rex actus in rabiem, resipuit quidem, emendatiorisque vita spem fecit, sed post longè evasit deterior, ipsos fratres è medio sublaturus.

§. IIX. Undè de eo à gubernaculis removendo cœpta consilia. Holmià obsessâ, Petrus Salamontanus scelerum luit pœnam, ac tandem se Fratri Johanni Ericus dedit,

hòc Rege declarato, illo carceris incolâ factò.

§. IX. Pergitur ad Externa, ubi primò Fœdera cum Rege Gallia, Carolo IX. & aliis, item Conventiq cum Revaliensibus.

§. X. Secundò Legationes, quas instituit ad Dania Regem, ad Moschum, & alios remissivè; & quas admisit, à Pontifice, Dano, &c.

§. XI. Tertiò bella, quorum tantum illud cum Dano, & quidem quoad prius biennium, prolixius exponitur. De ceteris remissivè.

§. XII. Elogium Regis Erici XIV. & breve de eo iudicium.





§. I.



Post deletam Christierni II. tyrannidem Gustavus, ex illustri Equitum Stur de Wasa familia, A. MDXXI. in Wastenis Comitibus à Regni Ordinibus primùm Sueciæ Gubernator factus, bienniô post in Comitibus Stregnensibus Rex Suecorum salutatus, maximâ cum laude Rempublicam administravit, Pontificiis ritibus abolitis puriora Sacra introduxit, seditiones in Wester-Gotha & Smalandia ab istarum regionum Episcopis & Proceribus concitatas feliciter sedavit, Lubecenses & Moschos in ordinem redegit, cum præcipuis Europæ Principibus foedera incundo Regni securitatem firmavit, ac tandem familiæ quoque Regiæ prospiciens A. MDXL. Regnum, quod hæctenus electitium fuerat, hæreditarium effecit, hisce legibus, *ut, si omnes Gustavi filii atque lineâ rectâ ab eo descendentes posterius masculi decederent, Rex crearetur masculinus sanguine Gustaviana familiæ proximus, ejusque deinceps posterius masculus: Si nullus ex Gustaviana familiæ masculus superstes fuerit, Rex eligeretur ex illustri Suecorum sanguine prognatus.* Hisce peractis, & rebus omnibus quàm optima ratione dispositis An. eodem die Michaelis Holmiæ obiit, Upsaliæ die S. Thomæ sepultus. Jo. Elai Terferus, *Chronol. ad An. MDXX. seqq.* Thuanus, *Histor. L. XXVI. p. m. 537.* Chytraeus, *Saxon. L. IX. p. 232. seqq. L. XIII. p. 342. seqq.*

§. II.

Nihil ad felicitatem Regno Sueciæ deesse videbatur, dummodo sui similem, i. e. filium, ut Regni, sic paternarum

A

virtu-

virtutum hæredem reliquisset; id verò dum secus accidit, subito quoq; facies rerum in Suecia post Gustavi obitum conversa ac mutata est. Quatuor erant ipsi Filii, quos inter, ex ultima Regis voluntate, Erico Regnum, Johanni Finlandia, Magno Ost-Gothia, & minimo natu Carolo Sundermannia debebatur. Natus fuerat Ericus A. MDXXXIII. die Lucia, five XIII. Decembr. horâ nonâ ante meridiem, ex Coniuge primâ (tres enim Gustavo contigerant) Catharina, Filia Magni, Ducis Angrivaræ, cujus Mater ejusdem nominis, Filia Henrici, Ducis Brunsvicensis. Multa erant, undè malè de hoc Principe ominandi argumenta haud dubia statim initio nativitatis emerferunt, de quibus referentem Historicum Suecicum Loccenium audiemus: „ Anno, ait, exeun-  
 „ te MDXXXIII. dies Lucia Ericum principem difficili matris  
 „ per triduum nixu in lucem dedit. Reginus Medicus, qui  
 „ etiam Astrologus erat, cum in Reginae cubiculi atrio inve-  
 „ stigasset, ecquid procederet partus, & responsum tulisset,  
 „ nondum enixam esse Regnam cum doloribus luctantem;  
 „ Ergo, inquit, omnes precemini Deum, ne illud in hoc  
 „ temporis articulo fiat. Si enim nunc in lucem edatur, in-  
 „ felici sidere nascetur, & vobis totique regno doloris filius  
 „ evadet. Vix effatò Medicò nascitur infans, & acerbè flere  
 „ auditur. Quidam volunt, etiam in utero materno semel  
 „ lachrymasse. Sanè utramque ejus manum clausam sangui-  
 „ nem tulisse constat, certò cruenti quondam ejus imperii  
 „ omine à matre etiam prædicto. Hactenus Loccenius, *Hist.*  
 „ *Suec. L. VI. p. 280.* qui similia de Christierno II. Danicæ  
 „ & Sueciæ Rege, Erici prædecessore, æque etiam crudeli, re-  
 „ fert, scilicet in utero flentem auditum, recens verò natum al-  
 „ teram manum in pugnam adstrictam & cruore plenam extu-  
 „ lisse, unde Pater humani sanguinis fore prodigum prædixe-  
 „ rit.

rit. *L.V. p. 196.* Conf. Jo. Meursius, *Histor. Dan. in Christiāno*  
 II. *Opp. Tom. 3. L. 3. p. 86. seq.*

§. II.

In Ericum uti non parcâ manu natura corporis atque animi dotes contulerat; ita totus in eo fuit Rex Pater, ut sollicita educatione eadem probè excolerentur. Præceptore usus est imprimis Dionysio Beurero, ut Loccenius *l. c. L.VII. p. 347.* vel Beuræo, ut Pufendorfficius vocat, *Continuirte Einleitung p. 334.* Burgium, sed haud dubio erroneè, nominat Joh. Magnus, in Excerptis, ap. Joh. Gualterium, sive Janum Gruterum, *Chron. Chronicorum Tom. III. p. 548.* Gallus is fuit, Reformatae religioni addictus, longò satis tempore ab Erico in dediciis habitus, sed tandem ejus jussu à satellitibus confossus. Imbutus autem fuit Ericus liberalibus artibus (\*) variarumque linguarum, non Latinae solum & Gallicae, sed & aliarum exoticarum notitiâ non mediocri, teste Loccenio, *l. c.* qui præterea addit, Astronomiæ & Astrologiæ judicariæ cognitione eruditum fuisse, sed *majorè (\*\*)* curâ, quàm *Principi ad Regiæ fortunæ cultum formando conveniret.* Hoc sanè non ab re monitum à Loccenio. Nam utut fortè Astrologiæ studium modicè degustatum juveni Principi pro condimento esse permittique possit; constat tamen, quam plurimos, dum nimium eidem addicti fuerunt, inde ad superstitionem

A 2

prolapsos

(\*) Imò etiam Hymnos Sacros Ericum composuisse, qui adhuc in Ecclesia Suecana cantentur, refert Pufend. *Append. Com. Einleitung p. 381.*

(\*\*) Quod inde apparet, dum Ephemerides sua manu scripsit, in quibus Planetarum cursus & siderum adspectus sollicitè designavit. Magiæ deditum fuisse scribit Varillas, *Histoire de Revolutions arrivées dans l'Europe en matiere de Religion.* Sed pro more mentiri Varillasium, & confundere, quæ non confundenda erant, docet Pufendorf. *dict. Append. ad Comin. Einleit. pag. 887.*

prolapsos omnem Imperii curam tantum non insuper habuisse. Occinendum ergo potius Erico fuerat illud Anchisæ ad Æneam:

*alii Cæli meatus*

*Describant radio & surgentia sidera dicant,  
Tu regere imperio populos, Ericice, memento.*

*Æneid. VI. v. 849. seqq.*

Additamen idem laudatus Historicus, nec illas ipsas artes, quæ Principum propriæ sunt, in Erico juvene neglectas fuisse, *præeunte*, quod præcipuum, *magni Parentis longò usu imperandi militarisque disciplina gnari exemplò*. Quemadmodum autem sæpè fieri assolet, ut Heroum filii à virtute patria degenerent, & optimæ institutionis semina parvorum hominum consortiis atque consiliis corrumpantur; ita & in Erico mature satis datum fuit ingenium ad libidines & ludicra potius, quam ad ardua & populi curam inclinatum cognoscere. Speciminis loco id esse potest, quod Loccenius adducit; *ludis eum nimis deditum, maximè pilæ palmariæ & trocho, cum à morum Præfecto moneretur, parcius ludicris & magis seriis ac publicè quondam salutaribus operam daret, falsè ridentem respondisse*: Erici pilam & trochum aliquando scribis aulæque ministris aurea fore poma. Tandem eò usque in ipso cum annis adolevit morum improbitas, ut adversus ipsam etiam Patrem plurima mala machinaretur, qui ideò exhæredem scribere voluit, & scripsisset utique, nisi ardentissimis Fratris Johannis precibus fuisset retractus, quamvis & hunc à pueris indè odit Ericus, quod eximia, quam præ se tulit, indoles ipsi formidolosa esset atque suspecta. Terferus. *l.c.*

§. IV.

Antequam ad alia, quæ ab Erico acta fuerunt, deveniamus, amores ejus atque Conjugia tum infeliciter tentata, tum infelicif-

infelicissimè consummatum recensēbimus. Uti verò in omni  
 vita varius fuit, ita quoque hic ab uno extremo in alterum  
 prolapsus inveniemus. In juventute, vivente adhuc Patre,  
 Elisabethæ Reginae Angliæ nuptias ambiit, & quidem, uti  
 Pufendorffius refert, ex instinctu Dionysii Beurraei, qui cum  
 Reformatæ religionis Sacra coleret, occasione hujus connu-  
 bii eadem in Sueciam introducta iri sibi persuasit. Præsentiscens  
 id Pater Gustavus initiò quidem aliquamdiu resistit, sed ubi  
 nihil valere sua consilia apud Filium vidit, annuit tandem, ut  
 Dionysius A. MDLVII. in Angliam ejus negotii causâ mittere-  
 tur, cui diversis temporibus alii Legati successerunt. Loccen.  
*l. c. p. 339.* Lactati hi ab Elisabetha, nil superesse referebant ad  
 Ericum, quàm ut ipse sine mora ad Reginam perveniret, utpote  
 magnò videndi ejus desiderio flagrantem. Nolebat autem Pa-  
 ter senio morbisque ferè confectus, ut Filius, Regni hæres, tali  
 rerum statu extra Regnum sese conferret; sed ejus loco Filium  
 secundo-genitum, Ducem Johannem Londinū ablegavit, qui  
 Fratris nomine negotium ad optatum finem perduceret. De-  
 lusus & hic vanis ab Elisabetha promissionibus, post ingentes  
 sumtus factos & ærarium regium penè exhaustum, domum  
 reversus est, & omnia ita certa atque confecta nunciavit, ut  
 Erici præsentia ad completionem foederis connubialis vel so-  
 la adhuc deesse videretur. Moræ ergo impatiens Ericus apud  
 Patrem & Regni Ordines in Comitibus Holmensibus A. MDLIX.  
 obtinuit, ut iter Anglicanum institueretur; sed vix illud in-  
 gressus ob subitum Patris morbum & excessum inde revoca-  
 tus nuptiarum cogitationem tantisper gravioribus Regni ca-  
 pessiendi curis posthabuit. Rebus tamen utcunque disposi-  
 tis propositi sui tenax denuò de istis cogitavit, & non  
 solum sequente anno initiò mensis Septembris iterum navem

conscendit in Angliam abiturus, sed & dum subito exorta in mari tempestas iter sufflaminaret, Pufend. *Contin. Einleit.* p. 346. integrò ferè bienniò missis conditionibus per Nicolaum Gùldensternium, Benedictum Fait, & alios nuptias ambire non destitit, teste Camdeno, *Histor. L. I. p. 46.* Sub idem verò tempus, fortè quod Elisabethæ diffideret, ad novos amores, non solùm cum Scotiæ Regina, Maria, animum appulit, eosque An. MDLXII. per Petr. Braheum sollicitavit, sed & Renatam, Lotharingiæ Principem, Francisci filiam, Christierni Daniæ & Sueciæ quondam Regis neprem expetiit, missis ad Cæsarem tutorem, qui procarentur, Legatis. Pufend. *l. c. p. 349.* Quin ne his quidem contentus, sequente anno nuptias quoque Christinæ, Philippi Hassiæ Landgravii filia, tentavit, sed successu æque infelici. Referam rem, prout à Loccenio narratur: „ Proximo, *inquit*, vere duodecim navium armatarum classem in portum Rostochiensem ad Varni ostium, præfecto classi Jacobo Bagge, emittebat, prætexens, quasi ea in Germaniam Regis Legatos, & per eos sponsam Erici, Landgravii Hassiæ filiam, in Sueciam adductura esset. Legatorum princeps erat Georgius Gera ad Landgravium de dicto negotio missus, cujus principia se benè ipsi dabant, patre virginis ad istas nuptias propenso. Cæterum cum Danus totus esset in apparando contra Ericum bello, & tamen Ericus virginem velut statim cum ea nuptias facturum huc absq; morâ transmitti voluisset, Hassus cautior non filiã, sed Legatos suos in Sueciam ire jubet, per quos nuptias in pacatiora tempora ac tutius iter differri cupiebat; & nisi de nuptiis, uti par erat, satis ante convenisset, filiam mittere sibi neque fas neque decorum fore ostendebat. Verum hæc in civilem modum prætexebat Hassus. Vera non tam dilati, quam tandem denegati istius conjugii causa

causa

causa erat, quod, dum negotium de eo maximè fervere vi-  
 debatur, à Rege Daniæ literæ in Oceano Occidentali inter-  
 ceptæ ad Hassum missæ fuerant, ab Erico ad Elisabetham  
 Angliæ Reginam scriptæ, in quibus de ejus animo in Elisa-  
 betham constanti, diversum verò de Hassici Principis filia  
 nuptiis, & quod virgini ludibrio esset, continebatur. Eâ  
 re Landgravius se ludificari sentiens adeò commotus est,  
 ut Erici Legatos, etsi hujus rei nescios, infecto negotio  
 ante solis occasum urbe excedere juberet. l. c. p. 357.  
 Epistolæ ad Elisabetham perscriptæ cum & Pufendorff. l. c.  
 p. 361. & alii meminerint, neque tamen ea, quantum mihi  
 quidem constat, unquam in lucem publicam prodierit, non  
 ingratum fore Lectori spero, si commodâ hâc occasione è  
 scriniis nostris in apricum proferatur. Ita autem habet:

„Ericus XIV. Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Wan-  
 „dalarumque Rex, Illustrissimæ Potentissimæque Prin-  
 „cipi ac Dominæ, Dominæ Elisabethæ, Angliæ Fran-  
 „ciæ & Hiberniæ Reginæ, fidei Defensori, Consanguini-  
 „neæ nostræ charissimæ, salutem, prosperitatem &  
 „omne bonum.

Graviter conturbatus sum, Illustr. Potentissimaque Regi-  
 na, cum ante annum elapsum per nuntium meum Bene-  
 dictum Teit Tuæ Serenitatis accepi literas, quæ omnem  
 mihi spem visæ sunt abscindere amoris & benevolentia.  
 Tua Ser. etenim non modò omnem occasionem, quò ne-  
 gotium connubiale confici posset, abstulerat, sed etiam  
 quam vilissimè alias petitiones bonæ communicationis  
 negarat. Quare autem Tua Ser. erga me tunc temporis ita  
 fuerit offensa, existimo causam delatores præbuisse, qui  
 fortè retulerunt, me aliud connubium sectari, & non in  
 animo habere, quæ Serenitati Tuæ per literas significarem,  
 „quod

„ quod quidem Tua Ser. longè aliter experietur, si adhuc  
 „ animum ad petatum negotium inclinare velit. Nam  
 „ quam falsum sit, quod illi jam dudum de Regina Scotiæ  
 „ connubium mecum factura sunt obloquuti, ipsi Scoti non  
 „ negabunt, cum solummodo pro meo Fratre Reginam il-  
 „ lam sollicitaverim, & non mea de causa. Sicut & illud,  
 „ quod de filia Landgravii, ut audio, Tuæ Ser. dixerunt, non  
 „ magis veritati est consentaneum, cum illud feci magis ex-  
 „ periundi animi Ser. T. erga me constantiam, quàm ulla  
 „ alia de causa. Multum etiam effecit falsa quædam Zelo-  
 „ typia ob Robertum (\*) concepta, quam ego simulationem  
 „ vice versa per filiam Landgravii volui recompensare. Sed  
 „ quemadmodum illud procul dubio falsum est, quod de  
 „ prædicto Roberto dixerunt, ita etiam se habet, quod de  
 „ filia Landgravii sunt oblocuti. Dii perdant tales semina-  
 „ tores rumorum; longè enim aliud jam audio de Tuæ Ser.  
 „ constantia & benevolentia erga me, & nunquam credidif-  
 „ sem, aliquam in mundo virginem futuram, quæ tam diu  
 „ ob meam causam vellet in cælibatu vivere, præcipue cum  
 „ Tua Ser. suis in literis confessa esset, se velle tandem pro-  
 „ pter preces subditorum nubere, quod indicium est, Ser. Tu-  
 „ am à natura non abhorreere connubium, ut multi dixerunt.  
 „ Sed cum penitus apud me considero, quare tam diu abs-  
 „ que responso suspensus mansi, cogor fateri, me aliqua ex  
 „ parte in causa esse, qui tam credulus fui in eo, quod existi-  
 „ marem, Tuæ Ser. amorem à me facile posse abalienari, &  
 „ quod convenientibus rationibus Tuam Ser. mihi nolebam  
 „ con-

---

(\*) Robertus Dudlejus is est, Elisabetæ Hippocomus, secre-  
 toris apud eam admissionis, ut etiam in maritum destinatus crederetur,  
 ea de causâ ab Erico ad duellum provocatus. Vid. Camden. *Annal.*  
*P. I. p. m. 81. 84. seqq.* Loccen. *Hist. Suec. L. VII. p. 354.*



conciliare. Verùm quemadmodum dici solet: ex incom-  
 modo fiunt homines circumspēctiores, sic etiam posthac  
 omnibus ita facilè fidem non adhibebo, qui negotium  
 hoc interturbare conantur, sed potius quod ad pro-  
 movendum negotium spectat, dabo operam, ut in mea  
 voluntate nihil desit. Atque iterum quam amantissimè  
 expeto à Tua Ser. aliud quam pristinum responsum, nem-  
 pe ut Ser. Tua in connubium à me petitum & toties opta-  
 tum consentire velit, & mihi literas salvi conductus no-  
 vissime petitâ formâ mittere. Spero namque, Ser. Tuæ  
 id non poenitiram. Ser. Regina, nolui prætermittere Tuæ  
 Ser. hæc scribere, cum occasionem per hunc tabellarium  
 jam commodam habuerim. Existimo enim T. S. cum ex  
 sincero animo fiat, non ægre laturam. Commendans S.  
 T. his in custodiam omnipotentis Dei, ad summam tran-  
 quillitatem & felicitatem in perpetuum. Datum in castris  
 ad Gisteneſtern, in Smalandia 15. Octob. An. 63.

*T. S. consanguineus & amantissimus frater*

ERICUS.

Tot Reginarum Fœminarumque Illustrium procus tan-  
 dem consilii inops, solique, cui dudum adsuetus, libidini in-  
 dulgens, turpissimâ catastrophe tentatos amores finiit.  
 Erat enim inter Concubinas, quas plures habuit, una Catha-  
 rina, quam ita deperiit, ut non tantum in Conjugem adscive-  
 rit, sed & solenni ritu tanquam Reginam coronari curaverit.  
 Factum id est mense Julio, Anni MDLXIIIX. postquam jam  
 ante filium ex Catharina susceperat, Gustavum, cui hac ra-  
 tione legitimato ad successionem viam pandere voluit Rex  
 vecors, qui, si mens non fuisset læva, potius prospicere  
 debuisset potuissetque facilè, inde ruinam casumque ipsum  
 sibi apparare certissimum. Erat enim Catharina humillimo

B

loco

loco nata, filia quippe lictoris, ut quidam volunt; Loccen. *l. c. p. 379.* aut rustici cujusdam Medelpacensis, post Decurionis facti inter milites præsidarios arcis Holmensis, ut Pufendorf. *l. c. p. 379.* Ferunt eam puellam in foro olitorio Holmiæ nuce veno posuisse, unde, dum forte visa placuit, Ericus eam in sororis Elisabethæ gynæceum traduci, & ibi tamdiu asservari jusserit, donec amoribus suis per ætatem idonea redderetur. Pufend. *l. c.* Potuissent hæc in Erico tolerari; si ut Concubinam tractavisset Catharinam, sed ferenda nequam erant tum Regiæ Familiæ, tum Regni Proceribus, ex quo tam vile scortum in Regale fastigium evchere, & extincto, quod in animo habuit, Regio stemmate, illius filium ad successionem promovere conatus est. Pufend. *l. c. p. 393.*

§. V.

Sed satis de Erici amoribus; jam porrò ad *Regimen* ejus progrediemur, cujus momenta potiora quoad ea, quæ tam in Regno, quàm quæ extra illud gesta fuerunt, considerabimus. Regnum ei post Patris obitum ex testamento Anno MDLX. delatum fuit, Coronationis autem solennia anni demum sequentis die XXV. Julii peracta, in quibus illud singulariter notandum, quod primus Christianorum Sueciæ Regum Comites creaverit, nec non Barones atque Equites Auratos, quorum nomina recenset Loccen. *l. c. p. 349.* Ad interna igitur quod attinet, occurrunt hic primò *Comitia* An. MDLXI. Aprili mense Arbogiæ habita, in quibus cum de aliis actum, tum quoque vel maximè de potestate Fratrum, Johannis, Magni, atque Caroli in Ducatibus à Patre per ultimam voluntatem assignatis restringendâ, uti videre est ap. Loccen. *L. VII. p. 348.* & Pufend. *l. c. p. 339.* Ægre quidem Fratres consenserunt, & multum conquesti sunt, subscribere tamen necessitate coacti, id ferendum esse reputantes, quod

quod mutari eo tempore non poterat. Non tamen à vero aberraverim, si dixerò, prima internorum motuum & infelicis Erici Regiminis fundamenta hoc factò jacta fuisse; quibus brevi post accesserunt & alia, inprimis insolitorum tributorum & onerum exactio in *Comitiis Holmiensibus* & in *Conventu Jöncöpingensi* proposita, quâ magnam sibi invidiam apud Nobiles pariter atque rusticos Rex attraxit. *Loccen. l. c. p. 355. Pufendorf. l. c. p. 347. 351.* Non parùm etiam inde aucta adversus Regem odia, quod ad genium Reformatæ Religionis (cui in gratiam Elisabethæ Anglicæ favere dicebatur) in Sacris quædam immutare voluit, quò ipsò non potuit non inprimis Archiepiscopum atque Clerum graviter offendere. Ut nihil hic iterum dicam de miris vanisque circa nuptias hinc inde tentatas conatibus, in quas dum immensos frustra prodegit sumtus, nihilque pro iis, præter turpem repulsam retulit, existimationis suæ apud omnes jacturam non levem passus est, quam tandem ignominiosò cum Concubinâ matrimonio penitus decoxit.

§. VI.

Inauspicata hæc novi Regiminis primordia non poterant non successum omnino infelicem promittere, nisi magnâ prudentia, moderatisque consiliis maturè emendarentur. Et fieri id forte potuisset, si sapientibus Regni Senatoribus potius, quam vaferrimo & sceleratissimo homini, à quo totus pendebat, aurem voluisset præbere. Erat is Petrus Salamontanus, vulgò *Jöran Pearson* / Sacerdotis filius *von Sandberge* / de magia suspectus, cujus criminis rea etiam ejus mater ad supplicium deducta, dum de equo cecidit cervicemque fregit, in paludibus palò per ventrem adactò vitam finiit. *Pufend. l. c. p. 359. 399.* Hujus pessimi hominis inconsultis consiliis maxima pars malorum, quæ Regnum

Suecicum eo tempore conquassarunt, attribuenda venit, è quibus potiora tantum indicabo, sed brevissimis, cum apud laudatos Historicos, aliosque latius exposita reperiantur. Erat inter Fratres Regi præcipuè invisus Johannes, cui ex patris testamento Finlandiæ Ducatus obrigerat. Hunc, ob matrimonium cum Catharina, Regis Poloniæ Sigismundi filia, suò licet consensu initum, suspectum habuit, ac si ope Poloni Sueciæ Regnum ad se rapere moliretur, neque quievit ante, quàm mitterentur, qui Ducem Johannem Aboæ comprehensum vivum aut mortuum (ita enim in mandatis habebant) Holmiam adducerent. Captivus advenit, unà cum novâ Nupta, d. XII. Aug. An. MDLXII. & latâ à Petro Salamontano sententiâ, cui nonnullos ex præcipua Nobilitate subscribere oportebat, tanquam perduellis capitis damnatus est. Mitigavit tamen Rex sententiam, ut ipse Johannes in arce Grypsholmensi custodiæ mandaretur, ubi quadrienniò & amplius detentus Uxorem spontè secutam secum habuit; Ministrorum autem plurimi (ultra centum numerat Pufendorf. *l. c. p. 358.*) ultimo supplicio affecti perierunt. Refert idem autor, Regem occidendi fratris Johannis causâ aliquoties carcerem ingressum, instinctu scilicet Petri Salamontani, semper tamen metu majorum motuum manûs ab eo abstinuisse, imo aliquando supplicem Fratri factum dixisse, certò sibi constare, Regnum abs se in illum translatum iri; rogare ergo, ut tam arctæ conjunctionis memor in potestatem suam redacti misereri potius, quàm ignominiosa morte punire velit. *l. c. p. 359.*

§. VII.

Sæviit inde porrò Rex infelix in Regni viscera, dum seductori Petro, aliisque (in quibus præcipuè etiam Olaus Arvidus nominatur) ejusdem farinae sodalibus temerè fidem

dem

dem habendo persuasus fuit, fidissimos è Proceribus in suam necem perniciemque conspirasse. Adducti fuerunt in suspicionem præ cæteris Sturii, Pater cum filiis, Steno Erici, Steno Baner, Ivarus Ivari & Abrahamus Gustavi, in quos A. MDLXVII. in *Comitiis Upsaliensibus* sententia capitis lata, dataque executioni ab immissis percussoribus, nisi quod ipse Rex ex Sturiis Nicolaum in cubiculo carceris pugione transfixit, quem hæc vulnere eductum Regi cum osculi veneratione reddidit. Pufendorf. *p. 381. seq.* Factum id dum Erico Dionysius Beuræus, tanquam Rege indignum, exprobravit, irâ percitus hunc quoque, quondam Præceptorem suum, extemplo trucidare satellites jubet. Pufendorf. *l. c. p. 383.* Circa eadem tempora *inustata judicia* instituit, inprimis *supremum* ex Senatu Regio ac Nobilibus, verè *sanguinarium*, quod sententias ad Regis nutum reis sæpe non auditis ferebat. Refert Loccenius, Assessorem quendam istius iudicii, Joh. Ingemari de Ornæs, Caprimontanum Nobilem, à pio homine rogatum, quânam conscientiam tot innocentes causâ plerumque indictâ capitis damnare posset, hilari vultu respondisse; *id sibi minoris negotii esse, quàm si panem butyratum devoraret.* (\*) Hòc modò, ait porrò Loccenius, *cives primarios peculiari tabella consignatos vel jugulare vel proscribere,*

B 3

bonis

---

(\*) Multum convenientiæ habuit hoc institutum cum illo Ducis Albani, de quo legitur, quod A. MDLXVII. post suum in Belgio adventum, *Consilium* quoddam verè *sanguinarium*, dictum *le Conseil des troubles*, instituerit, in quo ab imperitis & pessimis Assessores, nullâ habitâ juris ratione, innumeri homines innocentissimi, quod Religioni puriori & libertati conservandæ studerent, ad supplicia ultima damnati fuerunt. Non erit tædiosum audire, quæ de Consilio hoc refert Ludovicus Aubery. *Le Duc d'Alba, ait, établit un Conseil souverain de douze juges, nommé des Troubles, & le Conseil de Sang,*

dont

bonis & famâ privare, perditisque hominibus ejus libidini ser-  
vientibus illorum facultates, ut vulturibus cadavera, tradere,  
dominationi sua stabilienda utile fore duxit. l. c. p. 370. seq. Rem  
in pauca contrahens Terferus, Rex, inquit, quasi extra se  
positus omnia pro libidine agere cœpit, in benè meritos ingratus,  
in supplices rigidus, vindicta cupidus, supra modum suspicio-  
sus, optimos quosque deprimit, pessimos evehit. l. c. ad An.  
MDLXIV. Actus tandem in rabiem Rex infelicissimus fu-  
gam arripuit, sylvamque petiit, in quâ postquam per ali-  
quot dies instar feræ oberrasset, quartô demum in Odenso-  
la, quatuor Upsaliâ distante milliaribus, in Sacerdotis ædibus  
rusticâ veste indutus repertus est. Inde in prædium Schvvar-  
soense deductus omnem parrati facinoris culpam in Pe-  
trum Salamontanum, ideò in vincula conjectum, transtulit,  
cæsorum propinquis magna munera distribuit, Johanni fra-  
tri captivitate liberato conciliatus, sumta Eucharistia vitæ  
emendationem pollicitus est, oravitque Episcopos, ut, in-  
dictis publicarum precationum diebus, iram DEI & prome-  
ritas pœnas deprecarentur. Promissis tamen hisce non diu  
stetit, sed, ex quo Anno sequente MDLXIX. sceleratum Sa-  
lamo-

---

dont il se fit le Chef, excepté les Sieurs de Barlaymont & de Noircarme,  
Gentils-hommes qualifiez, qui en estoient; le reste estoit composé de gens de  
Robe de petite naissance, & de peu de merite. Le Principal estoit un Espagnol,  
nommé Jean Vargas (quem ita suffragatum fecunt: Heretici fraxerunt  
templa, nihil boni faxerunt contra. Ergo omnes debent patibulari) Il y  
avoit aussi un Flamand, nommé Hellsels, de ce Conseil nouveau, qui dor-  
moit toujours jugeant les Criminels, & quand on l' eveilloit, pour dire son  
avis, il disoit tout endormi, en se frottant les yeux: ad patibulum, ad pa-  
tibulum! Aubery, dans ses Memoires pour servir à l' Histoire de Hollan-  
de, p. 21. seq. Confer etiam de Sanguinario hoc Judicio Grotium, An-  
nal. Belgic. ad A. MDLXIX. L. II. p. 23. Meteranum, Nederl.  
Geschicht. L. III. ad A. MDLXV II. p. m. 105.

iamontanum ad pristinos, imò majores honores iterum  
 evexit, ad antiquos mores & ipse reversus, de tollendis è  
 medio fratribus præcipuisque Nobilium nefaria agitavit  
 consilia. Et quidem exequendis hisce destinatum erat idem  
 tempus, quo solenni ritu nuptias cum Concubina celebrare,  
 eique Coronam imponere proposuerat, ad quam festivita-  
 tem invitati Fratres Principes, partim, quod municipulam  
 sibi structam persentiscerent, partim quod tam turpis nego-  
 tii spectatores esse non possent, eidem sese prudenter subdu-  
 xerunt. Pufendorf. *l. c. p. 361.*

§. VIII.

Jam in eum statum deductæ fuerant res Regis, ut si vel  
 maximè voluerit, salus ipsa eum servare non potuerit (\*) Ac-  
 cusabat conscientia, inquietabant Regni motus interni, ter-  
 rebant hostes externi, affligebant mali Consultores; unde,  
 quò se vertere deberet, anxius hærebat, & omnia ad casum  
 spectabant, qui brevi inde secutus est. Namque Fratres Jo-  
 hannes atque Carolus, dum dicto anno nuptias Holmiæ Rex  
 peregit, in arce Wasteinensi de eo à gubernaculis remo-  
 vendo consilia inierunt, & sequentes ob causas Regno indi-  
 gnum publico scripto declararunt, quia nec Deo nec homi-  
 nibus fidus Ducem Johannem, nec æccusatum nec convictum  
 alicujus criminis, ultra quadriennium in carcere detinuerit,  
 innocentes ex præcipuâ Nobilitate Upsaliæ, & quampluri-  
 mos alios alibi crudelissimè trucidarit, vitæ insidias struxe-  
 rit Fratribus, Concubinam ad Regiam dignitatem evexerit,  
 ejusque liberos legitimos Regni hæredes declararit, quod,  
 occisò fratre Johanne, ejus uxorem Russo tradere promise-  
 rit,

---

(\*) De omnine, quod depositionem præcessit, vid. Loccen;  
*l. c. p. 377.*

rit, Petrum Salamontanum, malorum omnium facem atque  
 rubam, totius populi proprioque iudicio condemnatum  
 non solum in gratiam denuò receperit, sed & majores ad di-  
 gnitates promoverit, Regiaque potestate multifariam pessimè  
 abusus fuerit. Thuan. *L. XLIII. p. m. 883.* Pufendorf. *l. c.*  
*p. 394.* Copiis indè collectis bellum Erico, tanquam publico  
 Regni hosti, indictum, & Holmiam rectà itum est, ubi, quâ  
 potuit, celeritate Ericus ad defensionem se quidem paravit,  
 sed conatu prorsus irritò atque infelici. Qui enim ad pro-  
 fligandos Fratres à Rege missi fuerant, in primo statim con-  
 gressu ad hostium castra transierunt, undè jam facilè erat  
 Ducibus, exercitum suum Holmiæ moenibus admovere, &  
 urbem ad deditorem cogere. Ante verò, quam id fieret,  
 Petrum Salamontanum Duces sibi tradi postularunt, quem  
 & Rex illico, unà cum matre ejus scelerum consciâ, veluti  
 piaculares hostias, in castra misit, sperans se hòc factò irri-  
 tatos Fratrum animos mitigaturum. Inopinato id accidit  
 Petro, quare etiam dixisse fertur: *se prius cælum, quàm Eri-  
 cum Regem ruiturum, seque ab illo ita desertum iri sibi persua-  
 sisse, monuisseque circumstantes, à se exemplum caperent, ma-  
 gisque Deo, quam Regum & Principum favore nitantur, nec  
 more suo facerent, qui multos in gratiam Regis lesisset.* Loc-  
 cen. *p. 378.* In castra delatus severissimis tormentis subjectus  
 horrenda & atrocissima facinora confessus est, undè, latâ in  
 ipsum, tanquam furem & Regni expilatorem, homicidam,  
 adulterum, Regni turbatorem & perduellem sententiâ, dua-  
 bus rotis circumductum auriculis, unà cum diplomate No-  
 bilitatis, ad furcam affixis, primùm per horam in patibulo  
 vivum pendere siverunt, post inde demissum cruribus bra-  
 chiisque rotâ contusis in quatuor partes dissectum totidem  
 rotis imponi jusserunt. Loccen. *l. c.* Pufendorf. *p. 398. seq.*  
 Die



Die Michaelis aperta Holmiæ mœnia primus ingressus est Steno Erici, quem, dum à Rege deditioem simulante porrectâ dextrâ excipitur, adstans satelles, incertum an Regis jussu, adactâ per ventrem hastâ lethali vulnere sauciavit, pariterque Ponto de la Guardie grave vulnus inflictum fuit, Rex autem subito in arcem sese recepit. At parùm ibi turus eodem adhuc die & arcem, & se ipsum Carolo Fratri dedere coactus fuit, gravissimâ sane fortunæ commutatione, dum ex potenti omnibusque formidando Rege tam subito miser carceris incola & commune omnium ludibrium evasit. Dux Johannes eodem Michaelis festo triumphans urbem ingressus REX SUECIÆ proclamatus fuit. Ericus autem ab Holmensi carcere in alios atque alios, ac tandem in Orebiensem translatus, nonô captivitatis annô ibi obiit, & exuviæ An. MDLXX. Arosiæ sepulchro illatæ fuerunt. Monumento hæc gnome ipsius Regis jussu adscripta est: *Translatum est Regnum, & factum est Fratris mei: à Domino factum est illud.* Loccen. l. c. p. 380. Pufendorf. p. 403. Terzerus, ad An. MDLXVII.

§. IX.

Sed de internis satis; jam ad *Externa* progrediendo de *Fœderibus & Pactis, Legationibus item, ac deniq; bellis* nonnulla adducemus, quæ quidem ad tempora Regiminis Erici XIV. pertinent. Initio statim misit ad Carolum IX. Gall. Regem, qui Fœdus An. MDLIX. inter Franciscum II. & patrem Gustavum, maxime commerciorum atque privilegiorum, quibus Suecici mercatores in Gallia frui deberent, causâ initum renovarent. Vid. Loccen. p. 347. Pufendorf. l. c. p. 345. ipsam autem Fœderis formulam dans *le Recueil des Traitez de paix. Tom. II. num. 123. fol. 300.* Eodem anno Rex Poloniæ, Sigismundus, Legatum, comitem Tansky, Holmiam misit,

C

qui

qui de Foedere adversus Russos aliisque rebus cum Erico ageret; sed abnuit hoc Foedus Rex, quod non tam Russos, quam Ordinis Teutonici Magistrum in Livoniâ hostem haberet. *Loccen. l. c. p. 349.* Pacem igitur potius cum Moscho à patre Gustavo factam novô Foedere firmari voluit Rex; sed vix de biennii induciis conventum fuit inter ambigua pacis & belli præludia, cum de Revalia in patrocinium admittâ Russus Sueco tacitè indignaretur. *Loccenius ibid.* Quin eodem annô pacem & amicitiam inter utriusque patrem A. MDXLI. initam cum Daniæ Rege, Friderico, Ericus renovare voluit; sed cum ab eâ alienior esset Danus, tandem de annuis induciis inter utrumque convenit, factâ tamen à Danis spe prorogationis. *Loccen p. 354.* Inter omnes autem cum Exteris celebratas Conventiones ea notatu dignissima est, quâ An. MDLXI. Revaliam, urbem Hartiæ in Livonia principem, unâ cum Equestri ordine Hartiæ & Witiæ Regno Suecico copulavit, postquam res Livoniæ Magistri, Gotthardi Kettleri, ibidem locorum conciderant, & nemo esset, qui adversus Moschorum sævitiam afflictis opem ferre vel posset, vel vellet, anxie licet apud Imperatorem & Imperium eam expetentibus.

§. X.

*Legationes* instituit & admisit Rex non unas, quas itidem summarim tantum recensebo. Præter eas igitur, quas nuptiarum ferè causâ fieri iussit, & alias jam antè commemoratas, An. MDLXI. Gustavum Steenbokium & Thuronem Bielke ad Daniæ Regem ablegavit, qui, sub obtentu impetrandi transitus Legatorum Suecicorum per Daniam ad Anglos, in mandatis habebant, tentare, quæ sit Regis de trium Coronarum in insignibus usurpatione, nec non de Scandinaviæ, Hallandiæ, Plekingæ & Gothiæ restitutione, sententia.

tentia. *Loccen. p. 354. Pufendorf. p. 345. seq.* Successu caruit hæc missio in præcipuis; quare Rex Ericus litium sopiendarum causâ eodem annô suos ad Danum ablegavit, qui itidem rê infectâ sequente anno discesserunt. *Pufendorf. p. 347.* Anno sequente ad Moschum missi Oratores, Nicolaus Krumme, Ericus Falk & Nicolaus Ryninck, qui expositis in patrocinium admissæ Revaliæ causis biennii inducias impetraverunt, ut brevi ante dictum. *Loccen. p. 350. Pufendorf. p. 350.* De missione in Daniam, quæ Foederis renovandi causa suscepta fuit, jam ante monitum fuit. Ex Dania An. MDLXIII. à Rege Friderico Legatus in Sueciam venit Corfitius Ulefeld, qui amicitiam simulans multaue de benevolentia Regis sui erga Ericum contestatus re ipsa in mandatis habuit, Regni statum, & quô animô Ericus erga Danum sit, expiscari. Confusus ergo blanditiis istis Rex Ericus Stenonem Erici, Gabrielem Christierni, Arvidum Gustavi, & Georgium Finkium ad Hassiæ Landgravium destinatos per Daniam iter instituere jussit. Quod dum facientes Hafniæ, quâ transierant, sine literis commeatus discedere cupiunt, jussu Cancellarii Regis tum absentis, Johannis Frisii, in hospitia primum, dein Callenburgum abducti per biennium in Danorum custodia fuerunt. *Loccen. p. 354. Pufendorf. p. 354.* Ultimum occupat scabies. Advenit etenim primò suscepti Regiminis anno Nuntius Pontificius, Joh. Franciscus, Zarynthi Episcopus, in commissis habens, ut ad restauranda in Regno Suecico Papalia Sacra operam impenderet. Persuafus erat Pontifex de certitudine nuptiarum Regem inter atque Elisabetham Anglicam, hocque in suas partes attracto utrumque Regnum ad antiquam superstitionem reduci posse existimabat, unâ, quod dicitur, fideiâ duos parietes dealbaturus. Sed spes in hoc fefellit quam maximè Papam, &

nasō suspensus aduncō Regno discedere Nuncius iussus fuit.  
Pufendorf. p. 345.

§. XI.

Sed & de Legationibus hæc sufficient: Ad *bella* progrediemur. Ubi quidem non omnia describam, utpote cum Lubecensibus & urbibus Hanseaticis, Magistro Livoniæ Ketlero, nec non cum Moschis Polonisque gesta, quæ ab aliis jam fufius recensita fuerunt; Danicum tantum, & nec illud quidem integrum, sed ea tantum commemorabo, quæ initio ejus contigerunt, eruta ex fide dignis monumentis, ubi pleraque adhuc latuerunt. Scilicet jam inde ab obitu Gustavi simultates, sed obscuræ in principio, Erico cum Rege Daniæ Friderico intercesserant; donec ex mota de tribus Coronis (quas à Danis in insignibus usurpari male habebat Suecum) controversia apertiores fierent, ac tandem Anno MDLXIII. in apertum bellum erumperent. Denunciavit id Mense Augusto per Fecialem Danus, (\*) postquam jam antè amicitiam adhuc simulans hostilitatis sat luculentum specimen ediderat, impediendo scilicet per Classem, quæ ad Bornholmiam stabat, ne liberè navigarent Sueci, & per hoc Maris Baltici Dominium affectando. Quod cum Suecis ferendum non esset, Classes ipso Pentecostis die sibi obviam factæ conflixerunt, & victoria stetit ex partibus Suecorum. Loecen. p. 358. Præterea etiam Petrus Marcilius, Biturix Gallus (qui Historiam causarum belli inter Suecos & Danos suscepti,

---

(\*) Advenerat, cum Danico, etiam Urbium Hanseaticarum Fecialis, harum quoque nomine bellum Erico indicturus. Respondit Rex: *Dani*, quia Regali fastigio emeretur, Fecialem se accipere; alterum autem ad Senatum Stokholmiam ablegavit, ad contemptum addens: *Reges Regibus, cives ac rusticos civibus & rusticis bellum indicere debere.* Thuanus L. XXXVI. p. m. 722.

suscepti, sed hætenus ineditam, scripsit) autor est, Danum, antequam bellum inchoaret, (\*) per literas & occultos nuncios omnes Suecorum Ordines, præcipuè Nobiles, ad rebellionem & defectionem sollicitasse, qui idem scriptor etiam Suecicæ Nobilitatis responsum Dano datum adducit; teste Loccenio, *l. c. p. 352.* Belli hujus an justæ causæ Dano fuerint, (\*\*) nunc quidem non disceptabimus; id tamen negari non potest, plus Dani animum in bellum pruriisse, quàm Erici, utpote qui post jam expromtas à Dano hostilitates amicè lites componere gestiit, missis ideò subinde Oratoribus, paratus etiam arbitrio Electoris Saxonici & Hassiæ Landgravii causam committere, qui Rostochium Conventionum Legatorum pacis tractandæ causâ ad diem Bartholomæi indixerant, nisi Dani Suecicis Legatis negotii hujus gratiâ jam Calmariam perlatis, commeatus literas denegassent. Pufendorf. *p. 357.* Chytræus, *Saxon. L. XXI. p. 542.* Planè non erat instructus Daniæ Rex iis copiis, præsertim terrestribus, quæ ad bellum, quod meditabatur, sufficerent. Quarè cum strenuissimo & magni nominis Heroe, Günthero, Comite Schvartzburgico (\*\*\*) An. MDLXII. de adducendo ex Germania milite pactio facta fuit. Hòc igitur

C 3

belli

(\*) Post denunciatum bellum id factum refert Pufendorf. *p. 360.* Fortassis binâ vice id à Dano tentatum.

(\*\*) Videri eæ possunt ex literis denunciatoriis, quarum summam exponit Thuanus, *l. c. Conf. Loccen. p. 353.*

(\*\*\*) Inclytus hic Comes ob egregia belli & pacis tempore præstita officia summâ in gratia fuit apud Carolum V. & Filium ejus, Philippum R. Hispaniæ, apud Imperatores Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. & Matthiam, quos omnes consiliis & armis, inprimis adversus Gallos & Turcas, fidelissimè javit. Militavit etiam aliquamdiu in castris Ordinum Fœderati Belgii, Ductor trium Legionum, & à Polonis ad Præfecturam aliquot cohortium vocatus fuit.

belli Duce constitutô circa Paschatos Festum sub Chiliarchis, Georgio de Holle, Hilmero de Münchhausen, & Daniele Ranzovio copias pedestres sexaginta vexillorum præmisit, ipse verò cum equitatu trium millium brevi post secutus est. (\*) Fuere in eo exercitu Burchardus, Georgius & Justus, Comites de Barbi, Johannes & Christianus, Comites de Oldenburg, Henricus, Comes Isenburgicus, Adolphus Comes de Nassau, Wolfius, Comes de Eberstein & Neugaten, Albertus & Wilhelmus, Comites de Schvvarzburg, ut taceam Barones & Nobiles ex Germaniæ præcipuis, qui magnô numerô expeditionis istius societatem petierunt. Auctus fuit exercitus, factis partim in itinere partim in ipsa Daniâ accessio- nibus, ut tandem ad duodetriginta millium summam ex- creverit, teste Pufendorf. *l. c. p. 357.* Classem præterea habuit Rex Daniæ quinquaginta navibus instructam, in quibus duo- decim Lubecensium fuere, & sedecim classiariorum mili- tum cohortes, totidemque ferè nautatum vecti, Præfecto dato Petro Scharamo, dum Brokhusius adhuc ex clade ad Bornholmiam accepta captivus in Suecia attineretur. Thuan. *l. c. p. 722.* Post Archistrategi, Güntheri, in Dania d. XIIIX. Julii An. MDLXIII. adventum primus armorum im- petus conversus fuit in *Elfsburgum*, arcem Westro-Gothiæ, à portu, quem sibi subjectum habet, celebrem; quam d. IV. Septembris ex deditioe accepit, dum jam omnia ad incur- sum in castris essent parata. Eodem tempore etiam Classis *Oelandiam* Insulam in potestatem Dani redegit, & con- sternatô admodum Suecorum Rege, facile majores progres- sus potuissent fieri, nisi apparatus bellici defectus & in ge- lidissimo

---

(\*) Sedecim plus minus millia militum fuere, quos ex Germania Dano Schvvarzburgicus adduxit.

lidissimo tractu tempestatas asperitas in hibernis collocare militem coëgissent. Factum id est mediô Octobris, & Germanus miles maximam partem in Scaniâ per hiemem subsistere debebat. Sed ex improvise Rex Sueciæ, dum Danos à metu plane securos esse putat, ipse cohortium Ductor *Halmstadium* obsidione cinxit. Unde protracti ex hibernis Germani ad subsidium urbi ferendum accinguntur, idque ea celeritate præstitum, (\*) ut vix triduo ante auxiliarium adventum Rex Ericus quidquam de eo comperierit. Territus hic Danum cum copiis advolantem expectare non ausus est, sed sumtis secum mille equitibus Calmariam profectioe se periculo subduxit, relictis inter sacra & saxa relictis, qui rei dubiæ eventum præstolarentur. Hi, ex quo in propinquo esse Danos cum exercitu audiverunt, solutâ obsidione per pontem nauticum cum machinis bellicis aufugiunt, iter Calmariam versus instituturi. Persecutus est eos Danus, sed nox ingruens impedivit, quo minus in cœpto pergere hoc die potuerit. Vix ortô sequentis, qui erat decimus Novembris, diluculô ad corripandos in fuga hostes omnia instructa fuerunt. Rex ipse unâ processit, sed Ductore copiarum Comite Günthero Schvvarzburgico, qui cum præcipua earum parte primus in hostem movit, Rege mox insecuto cum militibus, qui hæctenus Halmstadium præsidio firmarunt. Ante portam dum ad editiora loca pervenit Güntherus, ibi, ubi transeundum erat, omnia magicis characteribus & variis incantamentorum generibus repleta, expansaque hinc inde per vias coloria fila, cum pluribus aniculis cantatricibus reperit. Sed hæc omnia nil moratus, perrexit  
in

---

(\*) Celeritatis indicium indè peti potest, quod spacio LII. horarum nec cibus viris, nec pabula equis præbita fuerint.

in itinere, & lamias calonibus jugulandas permisit. Jam ultra duo milliaria in fuga hostes processerant, dum Dani eos consequuntur, & ad figendum pedem adigunt. Acre praelium commissum est, & per quatuor horas ambiguo Marte pugnatum. Sueci enim post longum aggerem se receperant, quem utrinque ferè paludes densaque nemora sepserant, unde perrumpendi difficultas non levis, quæ tamen virtute Güntheri tandem superata fuit. Primus quipè hic cum equitatu dextroorsum transcensò aggere in hostes irruit, quem secutus ex altero latere Paulus de Sara cum peditatu; inde ad manus perventum, & post acrem pugnam, hostium agminibus fractis, victoria penes Danos permansit. Fugientes per duo milliaria insectati sunt Victores, pluresque in fuga, quam in acie occiderunt, captis in prædam inter alia machinis bellicis omnibus; & sanè multo adhuc plures hostium periissent, nisi nox incidens à longiore consecratione Danos prohibuisset. Cælorum numerati sunt non trecenti, uti quidem Pufendorf. scribit. *l. c. p. 362.* sed circiter quater mille, (\*) cum ex parte Danorum necentum quidem desiderati fuerint. Strenuè pugnarunt Germani omnes, sed, teste Thuano, *præcipua in eo prælio virtus fuit Schwarzburgici Comitis, Güntheri, qui aliquoties equò in glacie collapsò deturbatus, hostes ingruentes fortissime semper repulit, ac postremo in fugam vertit. l. c. p. 723.* Non poterat non ipse Rex Daniæ fortitudinem Güntheri & Germanorum militum, imprimis equestrium, summis laudibus extollere, hisce post finitum prælium inter alia usus verbis: *Tibi, Günthere, Comes strenue, & equitatu tuo tribuo, quod hodiè adhuc Rex sum; Coronam mihi conservastis atque Regnum;*  
actum

---

(\*) De tribus millibus loquitur Thuanus, *l. c.*



*aetum de me fuisset, nisi vos adjuutores habuissem. Nunquam virtutis Vestrae obliviscar, sed Regia gratia eam largiter compensabo.* (\*) Reversum post hæc feliciter Malmogiam (quam pro stipendiis Rex Günthero oppignoraverat) hunc Ericus in angustiis constitutus pertentavit, an in partes suas pertrahere, aut saltem suspectam Regis Daniæ fidem facere posset. Obtulit itaque solutionem eorum, quæ Daniæ Rex debebat, si oppignoratam sibi Malmogiam tradere vellet; sed nihil responsi dedit ad literas Güntherus, uti nec ad alias plures, quæ subsequutæ sunt, donec anno sequente d. XV. Junii iterum aliqua venirent, quibus Rex Sueciæ ipsi, quæ ultra Fretum Danicum, ad Daniam propriè pertinentia, sita sunt, suis armis conquirenda obtulit, dummodo vicissim Güntherus suis copiis ipsum juvare velit in subjugandis, quæ, citra fretum sita, Sueciam propius attingunt. (\*\*). Ad hæc tandem d. XIV. Septembr. Comes Güntherus cordatè respondit; accepisse se quidem diversas Erici Regis nomine conscriptas literas, quæ in perfidiam illicere voluerint, sed à quovis potius nebulone, (\*\*\*) quàm à tanto, quantus sibi  
D  
videa-

(\*) Facta verbis non respondisse docuit exitus. Nam duodecim effluerunt anni, antequam stipendia tota Germanis exsolverentur:

(\*\*) Verba Regiæ epistolæ hæc sunt: Wenn Ihr eine Handlung/ oder Contract treffen/ auch dazu Hülffe und allen Beystand leisten woltet/ daß wir dasjenige/ so disseits den Sund gelegen/ innen bekommen und ruhig besitzen möchten/ so wollen wir Euch zu dem/ was jenseits den Sund gelegen/ helffen/ daß Ihr dasjenige vor das Eure immer bekommen/ auch gleichfalls in Ruhe besitzen möget.

(\*\*\*) Expressè vocat Schelmen Briefe. Turpè quidem aliàs & merito illicitum habetur, si quis alterius militum & subditorum fidem  
per

„ videatur Ericus, Rege (\*) profectas credidisse, & ideò re-  
 „ sponse judicasse haud dignas. Jam verò cum de Au-  
 „ tore dubium amplius non superfit, debere Regiam Digni-  
 „ tatem scire, se non ex ejusmodi generis Comitibus esse,  
 „ quales inter pocœnium nuper Ericus cuderit, (\*\*) sed ex  
 „ tali Gente prognatum, quæ & antiquitate & fide, facino-  
 „ rumque laude semper floruerit, imò & Cæsarem legitimè  
 „ electum produxerit. Se honestè educatum, fidei & vir-  
 „ tuti semper studuisse, eamque existimationem, quam  
 „ apud Imperatores, Reges, aliosque Potentes tot annos sibi  
 „ comparaverit, nunc in Erici gratiam non decocturum;  
 „ de oblata Regni Danici divisione se Daniæ Regem fecisse  
 „ certiore, accepisseque in mandatis, ut ea de causa Cal-  
 „ mariam proficisceretur. Fecisse se id quidem nuper, se-  
 „ cum sumtis tot, quot ad tam arduum negotium sufficere  
 „ potuissent, testibus, sed parum civilitatis apud Calmarien-  
 „ ses expertum, dum prope urbem adventantem nec unius  
 „ quidem tormenti disposure excepere, forte quod pul-  
 „ vis pyrius eo die permaduerit. Quia autem, dum nec  
 „ Ericus Rex repertus, nec ejus nomine quispiam, qui se-  
 „ cum agere voluerit, inde, re infecta, sibi fuerit disceden-  
 „ dum,

---

per promissa atque præmia corrumpere velit; Grot. *Jur. B. & P. L.* III. c. 1. §. 21. 22. ubi videndus Guil. van der Muelen, *Comment. Tom. III.* p. 35. quicquid etiam in contrarium statuat Pufendorf. *J. N. G. L.* II. c. 6. §. 18. refutatus solidè in *Notis ad Versionem German. p. 946. seq.* Ericus tamen Rex Sueciæ per hoc quodammodo excusari potest, quod idem antea jam Daniæ Rex apud Suecos tentarat, si quidem vera sunt, quæ supra eâ de re ex Loccenio adduximus.

(\*) Der ein Christlicher / geschickter / gerader und hochsprin-  
 gender König seyn wolte.

(\*\*) Wie sie deren in neulicher Zeit bey dem Schlafstrunck ehliche  
 geschmiedet.

dum, Regis tamen in honorem hinc inde ignes quosdam „  
festivos incendisse. „ (\*) Cæterum Güntherus cum Germa-  
nis suis in fide constans annò etiam sequente MDLXIV. in  
bello adversus Suecos operam suam Dano locavit. Ericus  
enim (licet ad pacem faciendam ab Imperatore Ferdinan-  
do I. aliisque denuò Rostochium invitaretur, quo de vid.  
Thuan. *L. XXXVI. p. m. 725.*) terrâ marique magno nisu ho-  
stilitates continuavit, meliore tamen hic quam illic successu,  
ceu videre est apud Pufendorf. *Contin. Einleitung / p. 365.*  
Nam obsedit quidem Elfsburgum, quod superiore anno Da-  
nus ceperat, per tres menses, sed irritò prorsus conamine;  
quarè ne sine ullo operæ precio discederet, excursionibus in  
Hallandiam factis circa Laholmum & Engelholmum non  
tantum agros populatus est, sed & incendiis excitatis maxi-  
moperè sævit, imprimis in Blekingia, ubi Ronnebiæ viros  
ad unum omnes ante jam in gratiam receptos crudelissime  
trucidare jussit, ipsò oppido funditus deletò & solo æquatò.  
In Norvvegia etiam Nidrosiam, oppidum cum arce, occu-  
pavit, sed paucis interpositis mensibus & hæc à Danis rece-  
pta. Thuan. *l. c. Loccen. l. c. p. 361.* Pufendorf. *l. c.* Mense  
Julio Comes Schvvarzburgicus, Güntherus, in Sueciam ite-  
rum movit, victorias superioris anni prosecuturus; sed pa-  
rum etiam effectum fuit, non suâ quidem, sed ipsius Daniæ  
Regis culpâ, utpote ab iis plane non instructi, quæ ad bel-  
lum longius ducendum necessaria fuerant. Propositum erat  
Günthero, Colmariam infestare; sed cum in itinere jam  
constituto nuncius adferretur, Suecos Lukarum & Ober-  
schiram obsedisse, hæc loca prius ab obsidione liberanda pu-  
tavit. Auditò autem ejus adventu, arreptâ celeriter fugâ in

D 2

loca

---

(\*) Accipient hæc omnia lucem ex proximè dicendis.

loca tuta sese obsessores receperunt, relictis in castris aliquot machinis bellicis, & com meatu vario. Mense demum Octobri denuò ad expeditionem Calmariensem se Güntherus accinxit, & cum parte copiarum feliciter quidem ad urbem tenui præsidio munitam adpulit, sed destitutus omni, quem Rex mittere promiserat, com meatu, & aliis ad obsidionem necessariis, re infecta discedere coactus fuit. Leves aliquando velitationes cum milite præsidario extra urbem excurrente intercesserunt, ubi, quamvis aliquoties ad moenia Dani hostes prosequerentur, tamen ne semel quidem ex urbe bombardæ alicujus displensione petiti fuerunt. Unde conjectura est, pulvere nitrato & aliis requisitis æque parum instructos fuisse Calmarienses, & sine dubio facili negotio urbem occupassent Dani, dummodo, quibus opus erat, misisset Rex, nec ipse sibi adeò improvidè defuisset. (\*) Quid ergo Günthero faciendum? Nil amplius poterat, quàm reliqua Regis jussa exsequi, eò quippe redeuntia, ut talionis jure in hostico direptionibus & incendiis ageret, & omnia longe lateque devastaret. Trium igitur milliarium ab Urbe Calmariensi spaciò nec Regiis villis, nec ulli pago parcitum fuit, ac ampla tandem cum præda Güntherus per Lukeram & Oberschieram in Scandinaviam reversus fuit, ubi, Danis fiducia pacis obtinendæ securis, Germanis verò belli sine nervo ulterius gerendi pertæsis, de missione actum fuit, Germanique eam d. XXX. Octobris à Rege impetraverunt. Duravit tamen bellum hoc usque ad Annum MDLXX. quò demum d. XIII. Decembr. Stetini pax compo-

---

(\*) In literis ad Regem Fridericum d. XIII. Octobr. hæc inter alia Güntherus scripsit. *Etur Königl. Majestät soll es gewiß davor halten / daß / wo ich fünff Canonen und acht Tage Proviant hätte / Calmar gewiß in meinen Händen seyn solte.*

composita fuit, de qua vid. Loccen. *l. c.* p. 386. Chytræus, *Saxon. L. XXII. p. 595. seqq.* (\*) Pufendorf. *l. c.* p. 411.

§. XII.

Si, quæ de Erico hætenus dicta, in summam contrahere, & indolem ejus delinare velimus, dicendum erit, fuisse Principem naturâ nec improbum, nec fatuum, licet inter laudabiles referri non possit. Pietatem initiô coluisse patet ex hymnis Sacris ab eo compositis; conscientiæ etiam monitis subinde locum dedisse variis liquet indiciis, maximè ex eo, dum Fratris Johannis, ad mortem damnati pepercit, & pravis Ministrorum, qui in carcere detentum interficere suadebant, consiliis restitit. Ingenium natura dederat sagax, & alacre, quod ex circumcisa Fratribus libertate nimia, qualis cum potestate Regis absoluta stare non poterat, & ex bellis ab eo gestis satis apparet. Commaculavit autem, quicquid in his boni fuit, vitâ non laudabiliter exactâ, cujus causæ partim ad ipsam etiam naturam ejus referendæ sunt, dum ad Venerem pronus natus & ad excandescentiam; partim ad educationem, dum Pater, nimiô in secundo-genitum Johannem amore, æmulationis fomitem præbuit, nec ab Astrologiæ judicariæ, cui ad superstitionem usque incubuit, maturè avocavit; partim denique, & quod in his præcipuum, quod pravis Ministris & Consiliariis aurem præbuit, cum fortè, admissis probis & prudentibus, illa naturæ & educationis


D 3

vitia

---

(\*) *Octo annos continuos nullis interpolatum induciis bellum hoc gestum scribit Chytræus, l. c.* Sed miror, eum latuisse, quod Anno MDLXIX. Rex Johannes, Erici successor, sex Mensium armistitium à Dano obtinuerit, eoque elapsô de Pace egerit, missis eâ de causâ Rotschildiam Legatis, qui quidem pacis articulos conscripserunt, sed postea à Rege Johanne rejectos. Vid. Pufendorf. *l. c.* p. 362. 402. 405. 411.

vitia emendari potuerint. Est ergò, quod Principes & Potentes hoc exemplo probè notent, ut procul habitis talibus, qui libidinibus eorum velificent, & ex ipsorum infelicitate quæstum sibi faciunt, viros cordatos, probos & recte monentes in Consilia admittant.



**E**h rühme Seinen Fleiß/ der forschet in alten Schrifft  
 ten / (steckt:  
 Und machet dieses klar/ was sonst im Zweifel  
**G**ott gebe daß Er sich ein Denckmahl möge stiftten/  
 Wodurch der Nimptschen Ruhm außs neue wird  
 erweckt.

Mit vielen Wunsch an den Herrn Respondenten  
 und vornehme Nimptschische Familie schrieb  
 dieses

**JOH. CHRZSTOPH. BZELZELD/**  
 Fürstl. Hessischer Ober-Kirchen Rath/ Erster Su-  
 perintendens und Prof. Theol. Primarius.

**I**st Adel/ wie er ist/ ein Diamanten-Stein/  
**S**o muß ins Tugend-Gold er eingefasset seyn;  
 In einen schwarzen Bley/ in einem schlechten Eisen/  
 Kan er den rechten Werth und Schimmer nicht erweisen.  
 Zehlt tausend Ahnen her/ pocht auff den Helm und Schild/  
 Wiß't aber/ daß dies Zeug nur eine Nulle ist/  
**W**o nicht der Tugend-Zahl und Edel-schönes Leben  
 Ihm seine Giltigkeit und rechten Nachdruck geben.  
 Ein fluger Edelmann/ so in den Schrifften lebt/  
 Sagt: Was kan Edel seyn/ das nicht nach Tugend  
 strebt?  
**E**in Maul-Thier bleibt ein Thier/ belegtes mit Goldnen  
 Decken/  
**D**ie langen Ohren kan es gleichwohl nicht verstecken.

34

Ich schreibe / Werther / dies mit so viel freyern Sinn /  
 Weil ich nunmehr auch von Ihm versichert bin /  
 Er werde Seinen Stand / samt alle dessen Schäken /  
 In lauter Tugend - Gold ohn Unterlaß versehen.  
 Nicht lange ist's / daß Er uns eine Probe wies /  
 Da Sein beredter Mund des Keyfers Leben pries ;  
 Jetzt will Er abermahls auff die Catheder steigen /  
 Und der gelährten Welt den schönen Wachsthum zeigen.  
 Ich freue mich darob ; Sein Fürsatz sey beglückt !  
 Wo Er Sich fernerweith so in die Wege schickt /  
 So wird der Tugend - Gold Ihn unvergleichlich ziehren /  
 Und in das Innere des Ehren - Tempels führen.

Niemit wolte dem Herrn Respondenti wohlmeinend  
 und herzlich gratuliren

der  
 P R Æ S E S.

**M**iremur Regem, male quem vixisse notamus,  
 Tam bene nunc scripto vivere posse Tuo!

*His Generosiss. DN. de NIMPTSCH de exquisito doctrina  
 specimine officiosissime gratulatur, generisque splendorem  
 ut literarum & virtutum ornamentis in dies magis illu-  
 stre, ex animo precatur*

**MATTHIAS NICOLAUS KORTHOLT,**  
 Eloq. & Poës. Prof. Ord.

**D**er Zeiten Wissenschaft muß nicht verachtet werden /  
 Soll die Gelehrsamkeit auff festen Grunde stehn ;  
 Sie zeigt der klugen Welt / was auff der ganzen Erden  
 Von Klug, und Thorheit sind vor Wunder se geschehn.  
 Sie lehrt von Tugenden die Laster unterscheiden /  
 Und wie man selbe soll als Scorpionen meiden.

Zwar ein Prädante will beim Stagyrit veralten /  
 Er sitzt Tag und Nacht / und brühet Grillen aus ;  
 Bald muß Hæccitas, bald Quidditas herhalten /  
 Er disputirt sich dum / und komt ins Narren - Haus /  
 Wo Suarez, Molina die kraucke Seele laben  
 Mit schönen Latibus und andern raren Gaben.

Du

Du bist / Hochwehrtester / den besten Weg gegangen /  
 Der von Pädanterey gar weit entfernet ist /  
 Du suchst den rechten Grund / und wilst dahin gelangen /  
 Wo man Gelehrsamkeit nicht nach dem Brodte mißt.  
 Geh ferner rühmlich fort / Gott gebe Heyl und Gnade /  
 Daß Dir kein Ungeluck / kein Sturm noch Wetter schade.

Niemit wolte dem Herrn Respondenten seine auff-  
 richtige Ergebenheit zeigen

**Christoph Friedrich / Frenherr von und  
 zu der Tann / Opponens.**

**R**egis Hyperborei tenebris evolvere gesta,  
 Quæ fere hyperborea nocte sepulta jacent,  
 Crede mihi, res est immensi plena laboris;  
 Dignus at ingenii nobilitate labor.

*Hisce Generoso & Pranobili Domino Respondenti  
 egregios in literis profectus gratulatur*

**AXELIUS de REENSTIERNA, Suecus.  
 Opponens.**

**N**imptschia Slesiacæ plaudas Gens inclita terra,  
 Nimptschinus en! Doctis se probat atque bonis.  
 Ille parentabat summa cum laude JOSEPHO,  
 Egregium Specimen, quod pietatis erat.  
 Jam secreta etiam Suecorum gesta referre  
 Pergit: qui dubitant, hoc meliora docet.  
 Et reliquas pariter scrutatur Palladis artes,  
 Otia dum contra plebs male sana fover.  
 Nunc Tua sic faciens, Nimptschii, sua crede J E H O V A  
 Tunc faciet, quando præmia larga dabit.

*Pauculis hisce Generosissimo Domino Respondenti, Amico suo  
 sincero assumatissimo, de non vulgari eruditionis edito  
 specimine gratulari, affectumque suum testari, uti da-  
 buit, ita quoque voluit,*

*ipsi addictissimus*

**BIELEFELD, Opponens.**